

2045

/ Illustrissime et R/me Dne,

Ad alteram epistolam R/mae D.V. respondeo, me egisse cum Patre Generali Societatis Jesu, qui mihi dixit, se statim scripturum ad R/dum Pr'em Praepositum Provinciale, eique mandaturum, ut non revocet sacerdotes Societatis, qui apud R/mam D.V. sunt, donec bonam abundi facultatem ab eadem R/ma D.V. habuerint. Cupit enim P. Generalis obsequi in omnibus tam sancto, et tam digno Antistiti, quantus est R/mus D.Epûs Curiensis, et simul idem Pr Generalis admonet Prêm Provinciale, ut serio tractet de erigendo Collegio, vel saltem missione Patrum nostrorum Meranii loco videlicet aptissimo ad discurrendum ad varia loca, et seminandum semen verbi Dei cum labore et tristitia, et referendos cum exultatione et gaudio manipulos suos. Haec mihi Pater Generalis serio promisit, et sine dubio adimplebit promissiones suas. Interim R/ma Amplitudo vestra bene valeat, et constanter perferat, ut adhuc fecit, tribulationes omnes pro gloria Dei, et salute animarum, quae magnam habet remunerationem. Iterum valeat mei memor in sanctis precibus. Datum Romae die vigesima octobris 1618.